

1403

*Novellus
Carrarius
fraude Ve-
ronam oc-
cupas.*

*Ex consilio
Catharinae,
conjugis
Galeacii,
Vincentini
in Veneto-
rum fidem
concedunt,
ut & postea
Belunnen-
ses & Fel-
trenses.*

dia urbe prælatis, Jacobum filium (ut alii vero habent, fratrem) Veronam pro Principe induxit. Nec tam opulentiæ urbis principatu contentus, Vincentiam suis armis subigere adortus, illius fines ex primo infestare. Vincentini a Carrario nomine abhorrentes, omnia prius pati certi erant, quam invisæ tyrannidis jugum accipere. Ad Catharinam itaque Galeacii defuncti conjugem mittunt; nam Carrarius jam suos fines infestare cœperat, armis sibi quæsiturus, quod jure non dabatur. Petebant proinde adversus Carrariorum injuriam auxilia, docentes in quanto discrimine res suæ essent, nisi aliena ope levarentur. Hinc Patavium esse dicere vicinam urbem, tyranni arcem ac domicilium: inde Veronam, quam ille infanda hospitum cæde occupasset: se undique circumfessos jam aperto bello peti: suos fines hostiliter vastari, quia insolentissimo tyranno non statim portas aperuissent. Nec esse, unde Vincentini auxilia aut petere, aut sperare possent, nisi ex ea domo, in qua Galeacii opes floruissent: orare illam, ut aut se præsentis ope juvaret, aut, si minus id præstari posset, diceret, qua via Vincentinos vellet juberetque suis rebus consulere. Hæc Legati. Illa vero præter quam quod & fœmina, & mariti morte consternata, majoribus etiam occupata rebus (nam Carolus Bernabovis filius post Galeacii mortem res novas moliri cœperat, multique ad hæc tyranni multas ex eo, qui fuerat Galeacii, principatu urbes occupant, ita ut de Mediolano retinendo sollicita esset) suos consuluisse dicitur, ac tum inter omnes constituisse: quando afflictis rebus in fide retineri non possent, satius esse, Veronam, Vincentiam, Feltrum, Belunnum, Coloniam, Bassanum cum suis finibus Venetis habendas permittere, quam infestissimo tyranno affligendas relinquere. Veneti (etsi jam antea Vincentinorum deditionem per legatos tentatam non receperant, non ut Carrario gratificarentur, aut quod Vincentinorum fortunæ non consultum vellent; sed verecundia potius alienæ rei temere occupandæ) ubi rem tantam ex insperato sibi oblatam viderunt (etsi magnum sibi cum Novello certamen futu-
rum